erit, sed verbalis potius, quia vocabulorum
magis quam rerum notitiam habet: quanquam
hoc nomen imprimis applicandum iis esse cen-
seo, qui Philosophiam infinitis figmentis e. g.
Sympathiæ, Antipathiæ, facultatum virium,
formarum substantialium, aliisque, quibus nempe
vocibus nullus in mente sanus respondet
conceptus, nimium quantum fœdarunt. Qui
verò hac cognitione nominali, quæ ope
Lexici acquiri potest, minimè contentus pro-
pius ad rem accedit, ipsaque philosophiæ
interiora cognoscere aggreditur, quæ ni-
mirum variarum Sectarum tam veterum
quam recentiorum genuinæ opiniones sint,
quæ aliis præferendæ, quale gradatim scientia
usque ad nostra tempora sumpserit incrementum
et similia; hic utique ad altiorem quidem
gradum ascendit, sed longe tamen adhuc meo judicio
à supremo gradu abest, cùm cognitio ejus quæ non alia nisi historica sit, ideò hic
ipse philosophi potius historialis quam
realis titulum mereatur. Hoc siquidem phi-
losophi realis nomen, illi saltem competit,
qui ad tantum pervenit cognitionis gradum,